

## S. P. BENEDICTI OPUSCULA.

### SERMO S. P. BENEDICTI

HABITUS IN DISCESSU S. MAURI ET SOCIORUM.

Si tristandum (dilectissimi Patres ac filii) pro tali esset negotio, mihi magis quam vobis in hoc esset mœrendum, qui quantum ad præsens, magnis videor destitui solatiis. Sed quia, dicente Apostolo, charitas benigna est, benignitatem charitatis nostræ omnimodis impendere debemus his quos aliquo modo ea indigere cognoscimus: nec nostra tantum, quantum aliena quærere. Quapropter vos amoris paterni sollicitudine in fletibus et mœrore temperare deprecamur, quia potens est Deus meliores nobis post hujus depositionem corporis huic sanctæ immittere congregationi: quorum meritis et exemplis, longe præstantius quam nostris, ædificemini. Sed et illud summopere nobis procurandum est, ne versutia antiqui hostis, unde aliis salus acquiritur, inde nobis tristitiæ malo, detrimentum in aliquo ingeratur. Non etenim quæ unitatis semel in sancta charitate junxit concordia, nunquam vel longissima terrarum dividunt spatia: quoniam semper interioris hominis aspectu, qui renovatur secundum imaginem ejus qui creavit eum, nos quoad vixerimus tempore invicem intuebimur.

*Post quæ verba, D. Maurum et socios sic affatus est:* Vos autem, fratres charissimi, quos ad opus Domini construendum, ad illas dirigimus partes, viriliter agite et confortetur cor vestrum in sancto proposito et religione: procul dubio scientes quia quanto austeriora, causa salutis aliorum, in hujus via sæculi pertuleritis, tanto majora a Deo recipietis cœlestium gaudia præmiorum. Nec vos ullo modo resolutio hujus nostri mœstificet corpusculi: quoniam præsentior vobis ero carnis deposito onere, vestrique per Dei gratiam cooperator existam assiduus.

*Melius confirmari non potest sermo iste quam testimonio oculati simul et auriti testis, scilicet B. Fausti S. Pauli discipuli, ad quem et alios tres socios tendebant ultima verba hujus sermonis: venit enim in Galliam una cum B. Mauro, post cujus obitum, a fratribus Romanis advocatus, et scribens jussu summi pontificis Vitam sancti Mauri, hæc ipsa verba sancto Benedicto ascribit. Sequitur sanctum Faustum Adrenaldu Floriacensis auctor antiquissimus (florebat siquidem anno 890) lib. 1 de Miraculis sancti Benedicti, cap. 6. Sanctus Faustus (inquit) Vitam beati Mauri composuit, ex quo opere nos quoque hæc quæ scripsimus mutuavimus; et immediate postea subjungit istum sermonem una cum epistola ad sanctum Maurum missa. Vide Surium tomo primo, et Arnoldum Uvion Ligni Vitæ lib. 1, cap. 1. Denique hujus sermonis veritatem videntur valde stabilire cum verba illa sancti Mauri quibus san-*

*ctum Roman. de obitu sancti Benedicti consolatur apud scriptorem antiquissimum Vitæ sancti Romani in Bibliotheca Floriacensi, tum versus isti P. Damiani S. R. E. cardinalis, ubi de laudibus montis Cassini, his verbis:*

Si cecidit Sinai mons qui legem dedit olim.  
Quod periisse tamen sua moenia credere nolim,  
Regula namque manet digitis descripta sacratiss.  
Tradita discipulis Mauro Placidoque beatis.  
Si rex Antiochus ex auro vendidit aram,  
Lege labore no. em Machabæus restruet aram.  
Lator ait legis, vobis præsentior adsum,  
Post mortem, quam nunc dicam clamantibus, adsum.

*Citat Arnold. Uvion in martyrologio suo ad diem S. Mauri.*

### EPISTOLA SANCTI BENEDICTI

AD SANCTUM MAURUM MISSA.

**B** Accipe, dilectissime, extrema institutoris tui dona, quæ et longum nostrum testentur amorem, et tibi ac commilitonibus tuis contra omnium perpetim munimen præbeant impedimenta malorum. Post expletam enim totam trinam vicenorum annorum decursionem, ex quo monasterialem adisti perfectionem, in gaudium Domini tui es introducendus: ut nobis hesternis die, postquam a nobis digressus es, Dominus ostendere est dignatus. Prædico etiam, ibi moram vos in eundo esse passuros, ac cum difficultate labilem locum inventuros, pro his quæ et Deo ordinante perficientur, et quæ inimicus humani generis molimine calliditatis suæ in vos concitabit. Nusquam tamen benignitas misericordis Dei vobis deerit: sed potius differendo licet, ac desiderium animi vestri in longum experiendo, aliorum quam speravimus aptissimam largiri dignabitur metationem. Jamque valeas felix in professione, felicior futurus in perventione.

*Auctores omnes superius citati in not. ad sermonem in discessu S. Mauri habitum, hanc etiam afferunt epistolam ascribuntque S. Benedicto: quos citasse de novo visum est superfluum. Adde solum testimonium Adrevaldi Floriacensis eodem libro quo supra, cap. 7, ubi de sanctis Mauro et sociis loquens, sic ait: Profecti itaque a cœnobio Cassini Epiphonorum diebus, quinta sabbati haud procul in prædium ejusdem cœnobii ea deveniunt die: susceptique sunt a duobus fratribus quos pridie illinc hac de causa reverendissimus pater miserat: dumque illic quietis gratia pernoctarent, superveniunt eis nocturnam synaxim agentibus duo fratres, missi a S. Benedicto cum piis muneribus, capsula scilicet reliquiarum ac brevi epistola, etc.*

*Capsula illa reliquiarum, quæ eburnea est, ostenditur apud S. Maurum Fossatensem juxta Parisios: epistolam sepultam cum S. Mauro, juxta ipsius desiderium et voluntatem, aliqui testantur.*